Quelle: https://manuscripta.at/?ID=45
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



pares illos nobis fecisti qui portauerunt pondus
diei et estus. Et ille respondens unum eorum dixit
amice. non facio tibi iniuriam. Nonne ex
denario conuenisti mecum. Tolle quod tu
um est et uade. Volo autem et huic nouissimo
dare. sicut et tibi. Aut non licet mihi quod
uolo facere. An oculus tuus nequam est
quia ego bonus sum. Sic erunt nouissi
mi primi. et primi nouissimi. Multi enim sunt
uocati. pauci uero electi. Dom̄ in. lx. ad corinth.
Fratres. Libenter sufferetis insipien
tes. cum sitis ipsi sapientes. Sustine
tis enim. si quis uos in seruitutem redigit.
si quis deuorat. si quis accipit. si quis ex
tollit. si quis in faciem uos cedit. secundum ignobi
litatem dico. quasi nos infirmi fuerimus in
hac parte. In quo quis audet. in insipi
entia dico. audeo et ego. Hebrei sunt. Et
ego. Israhelite sunt. Et ego. Semen abrahe sunt.
Et ego. Ministri xpi sunt. Et ego. Vt minus
sapiens dico. plus ego. In laboribus plurimus.